

TRACTATUS
DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

473. — Ecclesia gaudet facultate statuendi praecepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit, ut dictum est in Tr. de Leg. n. 83.

Multa existunt Ecclesiae praecepta, ut ex Iure canonico constat; praecipua vero, quae universos respiciunt fideles cuiuscumque status aut conditionis, ad sex sequentia reducuntur, scilicet 1^o ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant; — 2^o ut saltem diebus Dominicis et festis Sacro intersint; — 3^o ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur; — 4^o ut saltem tempore Paschatis ad S. Eucharistiae Sacramentum accedant; — 5^o ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6^o ut ieiunia statutis temporibus servent.

DE I. ET II. ECCLESIAE PRAECEPTO.

SEU DE OBSERVATIONE FESTORUM.

474. — Sancta mater Ecclesia gaudet potestate festa instituendi, eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus praecipienda, utpote quae accepit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter catholicos controversia agitur.

Praeceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, divinum sane ac naturale est; quod autem spectat ad tempus diesque huic cultui consecrandos, id in veteri lege per caeremoniale praeceptum, in nova per ecclesiasticum sancitur. S. Lig. l. 3. n. 263.

Solus Papa universae Ecclesiae festa indicare potest, quia solus in Ecclesiam universam iurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria dioecesi possunt, habent enim facultatem leges in sua dioecesi condendi. Attamen ex praesenti disciplina, ne nimia Ordinarium facilitate ultra modum dies festi multiplicentur, vetantur Episcopi, ne Clero fidelibusque inconsultis, festa statuunt. — Ita communiter ex C. Conquestus, de Festis. — S. Lig. n. 266. Votum celebrandi nonnulla festa de praecepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. — S. R. C. 19. Nov. 1630. — Gardellini.

Multa olim instituta sunt festa, quae decursu temporum, refrigerante fidelium fervore (1), in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa Ecclesiastica abolita sunt.

475. — Urbanus VIII., Const. *Universa* (13. Sept. 1642.), multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum statuit, ut sequitur:

« Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse... Dominicos scilicet dies totius anni; — Nativitatis D. N. J. C.; — Circumcisionis; — Epiphaniae; — Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis; — Ascensionis; — Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; — Sanctissimae Trinitatis; — Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis; — necnon festivitatum Purificationis, — Annuntiationis, — Assumptionis, — et Nativitatis Deiparae Virginis; — Dedicationis S. Michaelis Archangeli; — Nativitatis S. Ioannis Baptistae; — SS. Petri et Pauli, — S. Andreae, S. Iacobi, — S. Ioannis, — S. Thomae, — SS. Philippi et Iacobi, — S. Bartholomaei, — S. Matthaei, — SS. Simonis et Iudae, — et S. Mathiae; — item S. Stephani protomart.; — SS. Innocentium; — S. Laurentii martyris; — S. Silvestri Papae et Conf.; — S. Iosephi etiam Conf., — et S. Annae Deiparae Genitricis; — Solemnitatis omnium Sanctorum; atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. »

Huic catalogo addendum est festum *Immaculae Conceptionis B. M. V.* quod de praecepto haberi voluit Clemens XI., per Const. *Commissi Nobis* (6. Decembr. 1708.).

Nullo modo est confundendus Patronus cum Titulari. Itaque non colendum est de praecepto festum alicuius Sancti, Titularis utique Ecclesiae

(1) Auctor dum festorum imminutionem adscribit frigescenti fidelium charitati, potissimum forte prae oculis habuit miseriam Galliarum conditionem, quando efferrata quorundam, qui publicae rei potiti fuerant, barbaries eo usque dementiae ac furoris provecta est, ut quemlibet Dei cultum exterminandum et sanxerit et curaverit: quo e coeno ut omnino nobilis gens emergeret, nondum sivit temporum hominumque, qui sceptrum ibi arripere aut tenere, improbitas partim, partim ignavia.

At Romani Pontifices aliam omnino

causam imminuti festorum numeri attulerunt. Nam Urbanus VIII. (Const. *Universa*, §. 4.) motum se dicit, quod *clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eandem (festorum dierum) multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium.* Et Pius VI. (Const. *Ex quo divina*, 7. Iun. 1780, §. 5.): *Dum populorum conscientiae consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt indigentiae providemus, etc.*

cuiusdam, sed quem canonice in Patronum, servatis omnibus Urbani VIII. de hac re praescriptionibus, electum fuisse non constat.

Pius VI., propter temporum calamitatem, fidelibus romanis condonavit obligationem quaedam festa celebrandi. Haec autem sequentia sunt, scilicet, festa SS. Apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitate; duae feriae quae Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Silvestri, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis, et S. Iosephi; quae tamen tria postrema postea restituta sunt. Caeterum quoad alia nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam Missam *pro populo* celebrandi; ideoque standum est adhuc catalogo Urbani VIII. Ita solemniter a Pio IX. fuit declaratum per Const. *Amantissimi*, 3. Maii 1858.

In Gallia autem post Indultum Card. Caprarae, 9. Apr. 1802., ex concessione Summi Pontificis Pii VII., quatuor tantum festa praeter dies dominicos de praeepto supersunt pro fidelibus, nempe 1^o *Festum Nativitatis Domini*; 2^o *Ascensionis eiusdem*; 3^o *Assumptionis B. M. Virginis*; 4^o *Festum omnium Sanctorum*. Ex eodem Indulto ad Dominicam proxime occurrentem transferenda sunt festa *Epiphaniae Domini*, *Sacratissimi Corporis Christi*, *SS. Apostolorum Petri et Pauli*, et *SS. Patronorum cuiuslibet dioecesis et paroeciae*. Reliqua festa, olim praeepta, celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed absque ulla pro fidelibus obligatione.

De requisitis ad dies festos colendos, nempe de audienda Missa, etc., vide quae supra diximus, ubi de tertio Decalogi praeepto.

476. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Utrum, praeter obligationem abstinendi ab operibus servilibus nec non Missam audiendi, sublata fuerit etiam solemnitas liturgica festorum suppressorum aut translatorum?*

Resp. Neg. Nam S. C. Rit. pluries respondit: *Quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas, nihil omnino innovandum relative ad festa in quibus populus solutus est a praeepto audiendi Sacrum.* 18. Oct. 1818., in *Alifana*, in *Aquilana*, in *Tarentina*.

QUAER. 2^o *Utrum eadem decisio applicanda sit Galliae?*

Resp. Affirm. Etenim clara sunt haec verba Cardinalis Legati: *Eam tamen legem adiectam esse voluit (Pius VII.), ut in diebus festis, vigiliisque, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverant.*

QUAER. 3^o *Utrum idem dicendum sit de festis, quorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata fuit, v. gr. Epiphaniae, Corporis Christi, etc.?*

Resp. Affirm. Nam S. C. Rituum ad quaestionem: *An in festis, quo-*

rum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam, Officium publicum tam matutinum quam vespertinum peragendum sit sicut ante reductionem? — respondit: *Affirmative.* — 23. Maii 1835. in *Namurcen.* — Idem decreverat S. C. in *Cenomanen.* 29. Nov. 1831.

DE III. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU DE ANNUA CONFESSIOE

477. — Praeeptum hoc continetur in Concilio Later. IV., sub Innocentio III. habito ann. 1218., canone 21., qui sic se habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, scilicet Papae, Episcopo, Parocho vel Sacerdoti ab Episcopo approbato.* — Bened. XIV., *de Syn.* l. XI. c. 14. n. 2.-6.

478. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut praeepto annuae confessionis adstringantur?*

Resp. Quando sunt capaces peccati mortalis; quod non ex aetate solum, sed praecipue ex gradu ingenii vel boni malique discretionis iudicandum est. Satis autem discretionis inesse censetur in iis, qui iam apprehendunt, malum esse mendacium aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc.

Hinc Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessionem sensim praeparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere (1); saltem intra annum vi Concilii Lateranen. — S. Lig. l. 9. n. 662.-666.; l. 3. n. 270. In dubio de discretionis, absolvantur sub conditione. — S. Lig. *de Poenit.* n. 666.

Graviter igitur errant neque excusari possunt Confessarii, qui pueros sibi commissos nunquam ante primae Communionis aetatem absolvere volunt. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 2^o *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione praeepti annuae confessionis?*

Resp. Neg.; quia Ecclesia illam tantum confessionem praecipit, quae

(1) Sed et insipientissime quis putaret, puerulos dimittendos esse sine absolutione, ut ut constet, nulla mortali labe, ne dubia quidem, inquinatos esse. Numquid enim dubitet quis, sacramentum in his quoque vim suam habere, et gratiam ex opere operato conferre? Aut cur Dei minister hasce animas Deo apprime caras gratia illa privabit, quae et ipsas Deo cariores efficit, iisque plurimum praesidii ac roboris tri-

buit ad statum gratiae servandum? Videndus omnino de hoc argumento est Iosephus Frassinetti in egregio opere cui titulus, *Manuale del Parroco novello*, part. II, cap. III. §. 6., ubi anxietates quasdam, quibus nonnulli premuntur circa sufficientem puerorum ad hoc sacramentum suscipiendum dispositionem, opportune dispellit.

est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam praecepit confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat Conc. Trid. Sess. 14. — S. Lig. l. 6. n. 767., et alii communiter.

Caeterum quoad praxim quaestio haec minimi est momenti; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus omittit semel saltem in anno confiteri, vel ad sacram Synaxim ab anno inconfessus accedere solet?

QUAER. 3^o *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?*

Resp. Affirm. Quia terminus anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. — S. Lig. l. 6. n. 668.

479. — QUAER. 4^o *An confessio annua, quae Parocho aut alteri ex Parocho venia non fit, valida censenda sit?*

Resp. Affirm. — *Ita communiter*; et hodie, inquit S. Ligorius, certum est ex universali consuetudine. Confer quae dicenda sunt *de Sacram. Poenit.* c. 2. — V. *Casus*, n. 443. et seq.

Vide plura de confessione in Tractatu de Sacramento Poenitentiae.

DE IV. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU DE COMMUNIONE PASCHALI

480. — I. Praeceptum Communionis Paschalis, non secus ac praecceptum annuae confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc praeccepto ex perpetua Ecclesiae praxi, ex innumeris Conciliis, et Constitutionibus pontificiis, et praesertim ex Conc. Trid. sess. 13. can. 9.: *Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praecceptum matris Ecclesiae, anathema sit.* — Tempus Paschale ex declaratione Eugenii IV. incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. Episcopi tamen ex consuetudine (1) possunt hoc tempus anticipare vel etiam prorogare. Annus obligationis iuxta communem consuetudinem a Pascha computari solet. — S. Lig. l. 6. n. 295.

II. Communio Paschalis in propria paroecia sumenda est, ut aperte colligitur tum ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiae praxi.

(1) Consuetudo nimirum est, ut Sedes Apostolica petentibus Episcopis facultatem concedat tempus in iure statutum plus minusve extendendi pro varia diversorum locorum necessitate. Nam alioqui notum est, e iure communi posse quidem Epi-

scopos cum his vel illis subditis suis in particulari dispensare, non item cum tota communitate posse.

(*) Fagnanus (l. 5. *Decretal.*, tit. 38. n. 46) refert S. C. C. respondisse, esse in potestate Episcopi prorogare tempus paschale.

Hinc praecceptum Eucharistiae suscipiendae triplex est: 1^{um} ad ipsam Communionem, 2^{um} ad tempus, 3^{um} ad locum, spectat: ubi autem vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus aliis, vel certe primo satisfaciendum est. — Conc. Rhemense, an. 1850., tit. 7. c. 1.

481. **Quaesita** — QUAER. 1^o *An qui tempore praescripto omisit Communionem, teneatur, quamprimum potest, communicare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam. Ex dictis enim praecceptum communicandi est divinum *in se*: ergo cum Ecclesia praecceptum hoc Paschali tempore adimplendum iubet, ab ipso dispensare non censetur. Constat etiam ex ipsa Ecclesiae praxi, quae Romae fideles censuris ad satisfaciendum praeccepto, Paschali tempore elapso, compellit. — S. Lig. l. 6. n. 297., et alii communiter.

Nondum autem coepto tempore Paschali, nemo tenetur huic praeccepto parere, etsi prevideat se postea impeditum fore; sed incepto tempore illo, tenetur quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum praevideat, imo auferre impedimenta etiam gravia, cum sit praecceptum divinum et grave, et iterum communicare, etsi S. Communionem, ob impedimentum futurum praevisum, iam anticipaverit. — S. Lig. n. 297.

QUAER. 2^o *An praecceptum communicandi in paroecia obliget sub gravi?*

Resp. Affirm. saltem *per se*. Ratio est, quia videtur res in se gravis; quorsum enim tot Constitutiones et Decreta SS. Pontificum ab obligationem levem adstruendam? — *Ita communiter.*

482. — QUAER. 3^o *An urgeat adhuc praecceptum communicandi in paroecia, cum tempus Paschale elapsum est, et praeccepto non fuit satisfactum?*

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia semper remanet finis legis obtinendus. Aliunde Episcopi, legis interpretes, communiter requirunt, ut dispensatio in eo casu petatur, qua Communio alio in loco fieri possit. Excipe tamen, nisi Parocho licentia praesumi possit.

QUAER. 4^o *An peccet graviter, qui differt Communionem ad I^{am} vel II^{am} diem post elapsum tempus Paschale?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia licet huiusmodi dilatio *in se* parva videri possit, prae tempore tamen paschali est satis notabilis. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi (2) ultima die temporis Paschalis, ita ut a Confessario ad aliud

(2) Haec vera sunt, si *indispositos* hic intelligas eos, qui licet ad Confessarium accedant, scienter tamen peccato adhae-

rent, nec voluntatem praestandi ea, quae ad reconciliationem cum Deo necessaria sunt, ullatenus habent; et hi quidem facto

tempus remitti debeant. *Per accidens* excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad Confessarium tunc accedant inchoandae confessionis gratia; sed de obligatione communicandi intra Paschale tempus instruendi sunt.

483. — QUAER. 5^o *An satisfaciat praecepto Ecclesiae, qui communicat in Ecclesia cathedrali, vel de manu Episcopi extra paroeciam?*

Resp. Neg., quia non communicavit in propria paroecia. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 300. — Salmant. — Gousset, n. 224., contra alios.

QUAER. 6^o *Quis possit dispensare ab hoc praecepto communicandi in paroecia?*

Resp. 1^o Episcopus cum dioecesanis; 2^o Vicarii generales pariter pro dioecesi; 3^o Parochus ipse, cum lex in ipsius favorem lata fuerit, et insuper ex consuetudine constet. — S. Lig. l. 6. n. 300.

484. — QUAER. 7^o *Ubinam peregrini, vagi, milites et famuli praecepto Communionis Paschalis satisfacere possint?*

Resp. 1^o Peregrini et vagi possunt communicare in qualibet Ecclesia, nec tenentur adire paroeciam loci, ubi versantur; quia non habent proprium Parochum, qui eos agnoscere debeat. — S. Lig. l. 6. n. 300.

2^o Milites in statione, vel domicilium in civitate habentes, communicare debent in paroecia, in qua commorantur; secus in quacumque Ecclesia praeceptum adimplere possunt.

3^o Famuli et alii omnes quasi domicilium habentes eadem lege ac incolae loci ligantur.

QUAER. 8^o *An teneatur iterum communicare in paroecia, qui ibidem sacrilege communicavit?*

Resp. Neg., quia adimplevit finem praecepti quoad circumstantiam loci; sufficit igitur, ut alicubi communicet ad satisfaciendum praecepto Communionis Paschalis, quod non adimplevit per Communionem sacrilegam. Nec tenetur ad Communionem Paschalem in paroecia sumendam, si quis tempore Paschali sacrum Viaticum suscepit; nam finis legis fuit sufficienter adimpletus. — V. *Casus*, n. 488.

Vide plura de Communionem in Tractatu S. Eucharistiae Sacramento.

ipso declarant, praecepto sumendi paschalis se satisfacere nolle; perindeque est sive ultima temporis paschalis die, sive ante eam accedant. At si *indispositos* illos hic dicas, qui non earent bona voluntate, causa tamen aliqua subsit, ob quam Communio in aliud tempus remittatur; valebit

quoad istos exceptio, quam lex ipsa expresse apponit (c. *Omnis utriusque sexus* 12. *De Poenit. et Remiss.*), per ea verba: *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

DE V. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA IEIUNIUM

485. **Principia.** — I. Exstat praeceptum Ecclesiasticum omnibus fidelibus impositum, certis diebus a carnibus abstinendi. Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, Catechismis, et universali consuetudine, et omnium theologorum consensu. Immo praeceptum abstinendae apostolicum reputatur, non secus ac praeceptum ieiunii, a quo primis Ecclesiae saeculis non separabatur.

II. Praeceptum hoc praeter tempus ieiunii urget 1^o die Veneris cuiuslibet hebdomadae in universo orbe christiano, nisi in hanc diem incidat Nativitas Domini; 2^o die Sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi per aliquod anni tempus aliter praescripserit.

In plerisque autem Galliae dioecesibus, peculiari ex consuetudine, viget obligatio abstinendae tribus Rogationum diebus ac vigilia S. Marci. Attende igitur ad specialem locorum consuetudinem.

III. Praeceptum abstinendae obligat *per se* sub gravi, quia materia est *per se* gravis; in eo tamen iuxta communem theologorum sententiam admittitur materiae parvitas. — S. Lig. n. 1030.

Quemodmodum autem ab aliis positivis legibus, sic etiam ab obligatione ista dantur causae excusantes, scilicet impotentia, tum *physica*, tum *moralis* seu magna difficultas, quae in legis observatione reperitur. — *Ita omnes theologi* cum S. Lig. *ibid.*

486. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?*

Resp. Affirm., si usum rationis non sint adepti; secus, *nego.* — Si autem usu rationis potiantur ante septennium, *controvertitur*; probabilius *negat* S. Lig. *de Leg.* n. 155. Expedit tamen, ut pueri eiusmodi abstinendae, etiam antequam obligentur, assuescant. — *Recole dicta in Tract. de Leg.* n. 93.

QUAER. 2^o *Quaenam quantitas carnis requiratur ad peccatum grave?*

Resp. Valde controvertitur. Omnes conveniunt gravem esse materiam, quae notabiliter nutrit; sed ea vix determinari potest. Iuxta plures materia gravis excedere debet dimidiam unciam; sed hanc sententiam reiicit S. Lig. n. 1029., ubi refert et videtur approbare, quod dicunt *Salm.*, materiam parvam esse tantum octavam unciae partem. Hoc tamen dicunt de diebus, in quibus praeterea ieiunium servandum est (1).

(1) Idcirco quae hoc loco afferuntur ex S. Alphonso aut Salmanticensibus, ad rem non faciunt, quia disserunt de quantitate cibi, quae graviter violet legem ieiunii, quatenus plures comestiones interdicunt: quibus autem diebus sola abstinencia a

QUAER. 3^o *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter iurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si ius offae cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

487. — *QUAER. 4^o Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?*

Resp. 1^o Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynae accipiunt, *ut communiter sentiunt theologi.*

2^o Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas. — S. Lig. n. 1008.

3^o Aegrotantes, v. gr. febriliter laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. — S. Lig. ibid.

4^o Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant; cuiusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5^o Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, etiamsi a ieiunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque huius generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6^o Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti.

carnibus, non vero ieiunium praecipitur, eorum ratiocinationes de cibis, quae parum aut multum nutriant, sunt prorsus abs re, quia lex abstinentiae non impedit, quominus se quisque nutriat quoties et quantum liberit.

Caeterum etiamsi de ieiunio sermo sit,

opinionem hic ab A. relatae haud facile componentur cum iis, quae infr. n. 494. dicuntur de materia gravi in cibo, qui die ieiunii sumatur extra refectionem et coenulam. Numquid enim dimidia pars unciae carnis plus nutriat, quam duae tresve alterius cibi, v. gr. panis unciae nutriant?

DE VI. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU DE IEIUNIO ECCLESIASTICO.

488. — Ieiunium Ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae iuxta formam ab Ecclesia praescriptam servanda est tempore praesertim Quadragesimae, quatuor Temporum, et quarundam vigiliarum, scilicet Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini Nostri.

Agendum 1^o de essentia et obligatione ieiunii; *2^o* de causis a ieiunio excusantibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE IEIUNII.

489. — I. *Fideles omnes*, a vigesimo primo aetatis anno completo, tenentur *sub gravi* ad servandum statutis diebus ieiunium, nisi legitime excusentur, vel a Superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio quae dicitur ab ipsis Apostolis tradita. Caeterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, et ex omnibus Provincia- rum ecclesiasticarum Catechismis.

Dixi *1^o sub gravi*, quia lex respicit materiam gravem, quippe quae ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex Propos. 23^a ab Alex. VII. damnata, quae sic iacet: *Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia faciat, puta, quia non vult se subiicere praecepto.*

Dixi *2^o a vigesimo primo anno expleto*; quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem, eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis.

II. Ieiunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet *1^o* unica comestione per 24. diei horas, vespertina refectione adiuncta; — *2^o* abstinentia a carnibus et lacticiniis (1); — *3^o* tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadvertite tamen, consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam ieiunii naturam et obligationem.

ARTICULUS I. — DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIONE UNICULA.

§. I. De unica refectione.

490. **Principia.** — I. Refectio unica est primaria ieiunii conditio: in hoc enim praecipue sita est eius essentia, qua quidem sublata, nemo

(1) Hoc est coarctandum iuxta ea, quae infr. n. 503. dicenda sunt.